

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Level Two Medieval Latin Examination

15 April 2015

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Abbot Werdo's Epitaph (Walahfrid Strabo)

Postquam primo humani saevae sententia mortis

Iuste ulciscantis venit ab ore dei,

Fama licet quosdam lato celebraverit orbe

Nominis atque auram ferret ad usque polos:

Iustitia censente tamen moribunda statutum est

Membra sepulturis posse capi brevibus.

Haec magni tam parva viri tenet area corpus,

Cuius in aetherea spiritus arce manet.

Huius namque loci fuerat patronus et abba,

Nomine Werdo, dei plenus amore sui.

Egregius sensu, nitidi sermonis abundans,

Dogmata commendans moribus eximiis;

Sedulitate placens, cunctis affabilis, atque

Devota dominum religione colens.

Hunc rexisse gregem pie per quinquennia septem

Scitur, et omnigenis accumulasse bonis.

Martius Apriles ter deno sole Kalendas

Dum visit, Werdo mortem obit, astra subit.

Huius pro requie titulum quicumque recenses,

Pectore de placido funde preces domino.

2. **Augustine On Moral Goods**

Reliqua est pars moralis, quam Graeco uocabulo dicunt ethicam, ubi quaeritur de summo bono, quo referentes omnia quae agimus, et quod non propter aliud, sed propter se ipsum adpetentes idque adipiscentes nihil, quo beati simus, ulterius requiramus. Ideo quippe et finis est dictus, quia propter hunc cetera uolumus, ipsum autem non nisi propter ipsum. Hoc ergo beatificum bonum alii a corpore, alii ab animo, alii ab utroque homini esse dixerunt. Videbant quippe ipsum hominem constare ex animo et corpore et ideo ab alterutro istorum duorum aut ab utroque bene sibi esse posse credebant, finali quodam bono, quo beati essent, quo cuncta quae agebant referrent atque id quo referendum esset non ultra quaerent. Vnde illi, qui dicuntur addidisse tertium genus bonorum, quod appellatur extrinsecus, sicuti est honor, gloria, pecunia et si quid huius modi, non sic addiderunt, ut finale esset, id est propter se ipsum adpetendum, sed propter aliud; bonumque esse hoc genus bonis, malum autem malis.

3. **The Abbey of Saint Trond and the People of Liège (*Gesta abbatum Trudonensium*)**

Nulli igitur mirum sit si in gloria et diuitiis attenuati, hodie humiliter uiuimus, cum magis mirandum diligenter attendentibus possit uideri, quomodo inter tot loci nostri desolationes, uel tantum adhuc relictum est, quod congregatio apud nos esse et abbatia appellari potest. Itaque paucissimi tunc temporis apud nos fratres remanserant. Nullus apud eos ordo, nulla religio, utpote qui uictus et uestitus necessitate afflictus, fame et frigore pene interibant, et qui neque claustrales officinas habebant, quibus suas necessitates occultarent. Tanta que fuerat miseria, tanta desolatio, tanta rerum distractio, ut desperantes plerique uel ipsum nomen abbatiae loco posse remanere, satagere uiderentur, ut clericorum prepositura fieret, et sex aut octo sub se clericos haberet. Inter haec et caetera innumerabilia mala, cum paene iam annullata esset nobilissima illa et famosa quondam abbatia nostra, tandem miseratio diuina tetigit corda Leodiensium, habito que simul frequenti colloquio, coeperunt uiscerabiliter tractare, quomodo desolatae et pene adnichilatae abbatiae subuenire possent.

4. Cola di Rienzo Urges Romans to Show Gratitude to the Pope

Cum itaque, fratres carissimi, a Domino factum sit istud mirabile quidem in oculis intuentium non aliter nisi ut civitas vestra sponsa Romani pontificis, expurgata vitiorum vepribus, suavibus renovata virtutibus, in odorem unguentorum suorum vernarum suscipiat sponsum suum; idcirco letis vos precamur, in lacrymis ardentibus extorquamur, exortamur affectibus quatenus, depositis ferreis armis, animis guerrarum flammis extinctis, mundificatis cordibus, gratis desideriiis hec grata, hec divina munera, hec dona celestia capiatis, magnificentes in hymnis, psalmis iubilantes et laudibus, nomen domini nostri Iesus Christi, nec non clementissimo successoris eius domino nostro summo pontifici humiles gratias referentes, in cuius labiis, gratia divina diffusa, renovati estis et benedicti etiam in eternum; insignem purpura et auro eius sculptam imaginem in Romano amphiteatro seu Capitolio statuentes, ut ipsius clementissimi patris, auctoris et liberatoris Urbis, eterna vivat in posteros leta et gloriosa memoria, nullorum diuturnitate temporum peritura.